

In ea autem re valde cavendum est, ne res dicatur non religiosa, quae vere religiosa est, quod quanti momenti sit, consideratis quibusdam exemplis controversiarum patet, quae hodie agitantur.

Sunt, qui doceant, corpus hominis non immediate a Deo e limo terrae formatum, sed lege a Deo statuta ex inferiorum animalium corpore paullatim evolutum esse, cui evolutio Deus animum humanum inspiraverit. Eam doctrinam cum S. Scripturae narratione de hominis creatione conciliare volunt. Id nos quidem impossibile esse censemus. Quaeritur autem, utrum in explicanda illa narratione liberi sint, an exstantem Ecclesiae explicationem sequi debeant. Quaestio haec pendet ab alia illa quaestione, utrum doctrina de hominis immediata creatione sit religionis doctrina necne. Id ipsi negant. Contendunt, ad religionem spectare solam veritatem hanc, hominem etiam secundum corpus a Deo creatum esse, non autem, corpus immediate a Deo creatum esse. Nobis quidem etiam haec quaestio videtur esse quaestio de veritate religiosa. Insignis enim quaedam excellentia hominis magnumque, quod grato animo ad Deum referre debet, bonum eo continetur, quod secundum corpus ipsis quasi Dei manibus formatum sit nec bestias habeat patrem et matrem. Neque Patres, cum S. Scripturam explicantes hominem immediate a Deo creatum esse dicunt, id quasi obiter referunt, sed narratione Scripturae summam quandam hominis laudem contineri putant. Oratoria quadam exaggeratione Tertullianus: „Totiens honoratur (caro)“, inquit, „quotiens manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia et ipsa inprimis affectione, qua lineamenta ducebat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus etc.“¹

Porro orta est quaestio, utrum diluvium ad totam plane terram omniaque animalia terrestria, quae extra arcam fuerint, extendendum sit, an ad eam solam terrae partem, in qua degerint homines; imo, utrum totum humanum genus, excepta Noe familia, extinctum sit, an una sola gens, cuius historiam sacer scriptor exclusis aliis persequatur. Quae quaestio ut decidatur, consulenda est Scripturae narratio. Utrum autem in eius sensu determinando singuli sint liberi, an admittere debeant sensum, qui fortasse antiquitatis christianae consensu iam determinatus est, id pendet ab altera quaestione, utrum de re religiosa agatur necne. In ea autem quaestione duae partes doctrinae, quam commemoravimus, inter se recte distinguuntur. Multo enim magis altera pars, qua quaeritur, utrum totum genus humanum, an una gens extincta sit, religiosa quaestio haberi debet quam prior, quae est de tota terra vel eius parte. Etenim diluvio generi humano manifesta-

¹ De resurrectione carnis c. 6 (Migne P. L. II, 802).

tur a Deo, quanta sit divinae iustitiae severitas, quantumque Deum offendendi crimen, quod utrumque certe ad ambitum veritatum religiosarum spectat. Multo praeclarius autem divinae iustitiae maiestas Deique peccati odium diluvio manifestatum est, si Deus, ut crimina vindicaret, ne a toto quidem genere humano delendo abstinerit ac novum quasi ab alio parente prodire voluerit, quam si unam gentem exstinxerit. Alia tantum propter homines, in quibus solis culpa est, delet, ut non ita pateat, quomodo magis iustitiam manifestasse dicatur, si universam plane terram undis involvit omniaque eius animalia exstinxit, quam si eam solam terrae partem poenis petiit, quam homines incolebant. Caeterum etiam hanc quaestionem, quae est de tota terra vel sola eius parte, religiosam non esse equidem contendere noluerim.

COMMENTATIO IV.

Sitne a Concilio definitum, eos, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperint, sine peccato formali eandem fidem mutare vel in dubium vocare non posse.

In capite tertio Constitutionis de fide, postquam expositum est, quae tanta sint revelationis christianae in Ecclesia catholica signa veritatis, atque quae sit gratiae divinae vis, qua homines ad veritatem agnoscendam ducantur et, ut in agnita perseverent, confirmentur, pergitur: „Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi, aut in dubium fidem eandem revocandi.“ Canon respondens hic est: „S. q. d., parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici iustam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s.“

Quam quidem definitionem aliqui theologi ita explicaverunt, ut dicerent, ea definitum esse, fieri non posse, ut homo catholicus errore invincibili et sine peccato formaliter commisso fidem in dubium vocet vel deserat. Putant igitur, definiri, non solum obiective non adesse veram et iustam causam, sed ne talem quidem rationis speciem menti hominis catholici se offerre posse, qua deceptus errore invincibili putet, iam recte se de fide dubitare vel eam deserere¹.

¹ Id nuperrime contendit Aloysius Schmid, Erkenntnisslehre. Friburgi Brisg., Herder, 1890. T. I, p. 99. — Ios. Kleutgen S. I., licet censeat, hominem catholicum sine culpa a veritate deficere non posse, Concilium Vaticanum citat ille quidem, non tamen dicit, ab eo sententiam,

Nec desunt rationes, cur eo sensu definitio conciliaris explicanda esse credatur. Etenim 1^o, si non agitur de causa *subiective* iusta, nulla videtur definitionis esse ratio, quum per se pateat, *obiective* nullam iustam causam exstare, cur fides deseratur vel in dubium vocetur. 2^o Antea de multis illis atque praeclaris motivis credibilitatis et de gratiae auxilio, quo homines ad veritatem ducuntur in eaque confirmantur, sermo erat; si igitur propter haec nulla unquam iusta causa adesse posse dicitur fidem deserendi, videtur negari, catholicos, qui eam deserant, posse unquam dici invincibiliter errasse. 3^o Dicitur Deus eos confirmare „non deserens, nisi deseratur“. Si igitur homo catholicus Deum non deserit, secundum Concilium ne ipse quidem a Deo deseritur ita, ut invincibiliter a veritate aberret.

Quae tamen explicatio probanda esse non videtur. Nunquam hominem catholicum ob errorem invincibilem veritatem ab Ecclesia propositam in dubium vocare seu ab ea deficere posse, nec verbis definitionis enuntiatur, et historia textus efficitur, Patres id dicere noluisse. Quod cum exponam, nequaquam contendere vel probare volo, posse aliquem propter errorem invincibilem sine culpa ab Ecclesia deficere, sed id solum ostendere, Concilium de hac re iudicium non tulisse.

Qui contendunt, Concilium definivisse, neminem sine peccato formali ab Ecclesia deficere, id aut ita intelligunt, ut dicant, neminem sine peccato formali *contra fidem* deficere posse, i. e. *ipsam defectio- nem* necessario semper esse peccatum formale, aut ita, ut censeant, neminem ab Ecclesia deficere, quin antecedentibus saltem peccatis veritatis luce se privarit. Nos hoc loco praesertim ostendere volumus, prius illud a Concilio definitum non esse. Quod cum effecerimus, etiam alterum definitum non esse breviter ostendemus.

Definitione supra commemorata, praesertim canone, doctrinam Hermesii condemnari constat. Desumpta est definitio ex capite nono schematis de doctrina catholica¹, cui de Hermesiana doctrina haec addunt² theologi: „Commendat G. Hermes catholicis suis lectoribus et auditoribus, ut, dum in inquisitione versantur“, erga quamvis doctrinam religionis „e. g. catholicae aut christianae“, omnino indifferenter se habeant sibi persuadeant, „sancte se agere sequendo rationem, quocumque demum ea deduxerit“. (Introduct. positiv. ad theol. p. 30.) Porro ipse et de se testatur et aliis commendat hanc methodum inquisitionis fidei: „Omnibus hisce meis studiis propositum meum sancte servavi *ubique dubitandi, quamdiu possem*, et tum demum definitive pro alterutra parte decernendi, quando absolutam necessitatem rationis pro una sententia exhibere possem. Erat mihi propterea per varios

quam defendit, definitam esse. Theologie der Vorzeit. Ed. altera. Monasterii Westph., Theissing, 1874. Tom. V, p. 464 sqq.

¹ C. V. 511 b sqq. ² C. V. 530¹.

anfractus dubiorum eluctandum, in quos ingredi inutilis labor videbitur ei, qui nunquam *ad serium dubium* progressus est. . . Neque unquam timui aliquam hac via iacturam; intellexeram enim, quovis alio modo minus severo omnia, quae inquirebam, aequo iure reiici et admitti posse. Insuper perspexeram, pro hominibus nullum aliud tutum criterium veritatis dari praeter necessitatem rationis. . . Non auctoritate quantumvis multorum et gravium doctorum, sed unice intelligentia propria potest dubium superare, qui *revera dubitat*. . . Fuerit optabilius, si placet, huiusmodi dubiis carere quam iis satisfacere posse; pro futuris doctoribus religionis hoc non valet. Ii debent scire, se nescire, ut scientiam magno studio quaerant; debent labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragrarere, ut deinde ipsi dubitantibus per omnes anfractus comites se dare possint. (Introduct. phil. ad theol. Praef. p. 10 sq.)⁴

Neque tamen contra solius Hermesii doctrinam veritas definitur, sed etiam contra aliorum multorum errorem, qui ab iisdem theologis dicitur „in nonnullis regionibus late diffusus et fere popularis eoque perniciosior, quo universim dicitur, transitum ab Ecclesia catholica ad alias communionem fieri posse ex dictamine conscientiae, atque ideo generatim huiusmodi homines non esse censendos criminis reos, cum ipsi fere semper affirmant, se sequi dictamen suae conscientiae; quod nisi concedatur, inquiunt, damnandas etiam fore conversiones ab aliis communionibus ad Ecclesiam catholicam; sicque, qui hoc ius negaret orthodoxis ad eos confirmandos in veritate, eodem principio heterodoxos confirmaret in errore“. Neque ita loquuntur solum homines impii, qui inter diversas religiones nihil discernunt et eo ipso nullam agnoscunt, . . . sed alii etiam, qui religionem veram non negant, affirmant tamen, concedi debere ius omnibus commune per institutam in-

⁴ „Hac doctrina“, ut aiunt theologi (C. V. 531 a), „explicite vel saltem aequipollenter negatur divinum praeceptum fidei, quo tum per necessariam consequentiam ex ipso facto divinae revelationis tum diserta promulgatione divinae legis praescribitur tam iis, qui ad veram fidem nondum pervenerunt, prudens ac sedula inquisitio et ad sufficientem propositionem susceptio fidei, quam fidelibus constantia in fide; hocque ipso vetatur sub reatu damnationis aeternae, sicut negatio, ita dubium deliberatum circa veritatem quaecumque revelatam sufficienter propositam. Neque vero, ut aliqui nunc falsissime et periculosissime dicunt, peccatum contra fidem in eo solummodo est, quod admissio facto revelationis Deo non credatur et ipse mendacii accusetur, cuiusmodi monstrum inter homines vix occurrit; sed infidelitas, quae damnatur, etiam illa est, quod, dum veritas tanquam revelata sufficienter proposita est, illa revelata esse negatur et ita fides in hac hypothesis propositionis sufficientis debita non praestatur; hanc enim subiectionem rationalis creaturae et captivitatem omnis intellectus infinita maiestas, veritas et sapientia, h. e. auctoritas Dei loquentis postulat.“

quisitionem mutandi religionem, in qua unusquisque educatus est; atque propterea idem ius non minus valere pro catholicis quam pro heterodoxis. Leges ipsae in multis regnis catholicis latae pro libertate conscientiae, ut falso nomine appellant, proxime innituntur aut saltem palam dicuntur inniti huic principio. At profecto in toto huius doctrinae complexu iura et officia hominis ad amplectendam veritatem a Deo revelatam et ad vitandum errorem in fide transmutantur in iura ad sequendum errorem; argumentis ac notis, quibus Deus suam revelationem in sua Ecclesia omnibus hominibus cognoscibilem reddidit, aequiparantur umbrae, quibus error speciem induit veritatis; denique nulla omnino ratio habetur gratiae ac luminis supernaturalis, quo Deus illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum deducit ab errore et inducit ad veritatem fidei unice verae, in eaque confirmat, nisi diligant homines ipsi magis tenebras quam lucem, propter quod iudicantur et damnantur a luce aeterna Iesu Christo (Ioan. 3, 18—21). Hinc Vicarius Iesu Christi errorem hunc proseripsit, si nominatim pro iis, qui ad fidem supernaturalem in Ecclesia catholica iam pervenerunt, asseratur, liberum cuique homini esse, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit (Prop. XV. Syllabi)¹.

Iam in priori illo schemate de doctrina catholica hi errores reiiciuntur hisce verbis: „Haereticam esse declaramus et damnamus sententiam, si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium ac eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut fideles catholici licite possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt et crediderunt, in reale dubium vocare et assensum suspendere, donec demonstrationem credibilitatis et veritatis secundum regulas humanae scientiae ipsi absolverint.“² Secundum hanc sententiam canon sextus capituli tertii schematis de fide, quod deputationi proponebatur, formatus est³, qui idem in schemate Patribus proposito recurrit: „S. q. d., parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut fideles catholici licite possint fidem, quam sub Ecclesiae magisterio iam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocare, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint, a. s.“⁴ Hisce directe Hermesii doctrinam reiici patet, qua omnibus commendatur, ut, *etiamsi nulla se offerat dubitandi ratio*, fidei assensum suspendant. Id licitum profecto non est. At dicunt fortasse, Concilium hoc canone docere etiam, nunquam plane hominem catholicum in iis conditionibus versari posse, quibus *licite* fidem in dubium vocet. Non

¹ Schema de doctrina catholica. C. V. 531 b sqq.

² Schema etc. C. V. 512 b. e. ³ Ibid. C. V. 1632 b.

⁴ Ibid. C. V. 77 b.

putamus, id — si solum *canonem*, non vero *caput* respicimus — verum esse, quum error, qui reiicitur, verbis ipsis, quibus exprimitur, notissimus Hermesii error, offeratur¹. Sed etiamsi supponamus, canone id doceri, negamus tamen, eo damnari doctrinam: hominem catholicum aliquando ita in aliquo errore invincibili versari posse, ut, si de veritate suae religionis verum dubium admittat, solum materialiter peccet. Nam hac doctrina non asseritur, hominem in illis circumstantiis *objective licite* admittere dubium, sed eum propter errorem *excusari* a culpa, dum faciat, quod facere *non licet*.

Sed multo minus haec sententia ea forma canonis condemnatur, qua tandem a Concilio approbatus et sancitus est. Proposuit enim unus ex Patribus in Congregatione generali, ut in canone loco „ut fideles catholici *licite* possint fidem . . . in dubium vocare“ ponatur „ut fideles catholici *veram et iustam causam habere* possint etc.“². Canone hac forma enuntiato certe non excluditur sententia, fieri posse, ut fideles catholici, licet veram et iustam causam non habeant, tamen sine peccato formali fidem in dubium vocent, sc. ob errorem aliquem, quo laborant. Iam illa emendatio secundum sensum a Concilio recepta est. Animadvertit enim Paderbornensis nomine deputationis in relatione³: „Quod ad hanc emendationem pertinet, censuit deputatio, huic satisfaciendum esse cum hac parva modificatione, ut vox *veram*, quam proponit Ill^{ms} auctor, omittatur, cum sensus huius vocis in voce *iustam* iam contineatur. Placeat igitur vobis, R^{mi} Patres, ut pro *veram et iustam* ponatur simpliciter *iustam causam habere*.“ Iam id Patrum suffragiis probatum est⁴.

Quod autem de canone, id etiam de capite valet, quum in eo eadem verba usurpentur: fideles catholici „nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium fidem eandem revocandi“.

¹ Clarius id patet ex adnotatione schemati de doctrina catholica adiecta: „Haereseos damnatur error, quatenus quoad firmitatem et constantiam assensus et quoad independentiam examinis *par esse* dicitur *conditio fidelium et eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt*; et quatenus propterea dicitur, universim fideles catholicos licite posse in dubium vocare aut suspendere suam fidem, quam ante scientificum examen sub magisterio Ecclesiae susceperunt, ita ut ab hoc subsequente examine pendere debeat, utrum fides catholica eis retinenda an reiicienda sit; quemadmodum G. Hermes hortatur candidatos theologiae et consequenter omnes saltem eos, qui scientifico examini sunt idonei, ut, dum in inquisitione versantur, erga quamvis religionem, „e. g. catholicam aut christianam“, omnino indifferenter se habeant, sibi persuadeant, sancte se agere, sequendo rationem, quocumque demum ea deduxerit“. Quo etiam sensu damnata est in *Syllabo* propositio XV.: „Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.“ (C. V. 534 b. c.)

² Emendationes etc. C. V. 164 a. ³ C. V. 189 d sq. ⁴ Ibid. 191 d.

Neque historica hac inquisitione opus fuit, ut caput ita explicandum esse comprobaremus. Verbis enim eius ipsis id patet. Quum enim catholicis nulla unquam iusta causa esse dicatur, cur de veritate suae religionis dubitent, seu ab ea deficient, per se patet, sermonem esse de causa *objective* iusta. Neque enim, ut rem exemplo illustremus, is, qui, cum errore se ab amico offensus esse *putet*, amicum deserit, *iustam eum deserendi causam* habere dicitur, sed is solum, qui *vere offensus* est.

Afferuntur autem, ut initio¹ vidimus, rationes quaedam, cur etiam possibilitas erroris invincibilis excludi dicenda sit. Eae tamen vi carent. Ad *primam* enim respondemus, rationem vere adfuisse definiendi, nullam causam *objective iustam* exstare fidem in dubium vocandi. Illa enim capituli paragrapho primo loco respicitur doctrina Hermesii, qui causam *objective iustam* dubitandi adesse docuit, imo *commendavit* dubium, et praesertim eos, qui religionis doctores futuri essent, labyrinthum dubiorum per omnes circuitus peragrarare *iussit*, omnesque voluit sibi persuadere, *sancte se agere* sequendo rationem quocumque demum ea duxerit². Hermes catholicam religionem aequiparat sectis. Etiam alii, quorum doctrina in Concilii Vaticani definitione respicitur, causam *objective iustam* adesse posse docent, cur Ecclesiae catholicae fides deseratur, quam sectis nequaquam praefereunt. Eorum doctrina continetur quinta decima propositione in syllabo condemnata, ut supra³ vidimus. Iam propositio haec, quae ad verbum ex Literis Apostolicis „Multiplices inter“ d. 10. Iunii 1851 desumpta est, attribuitur in his Literis Francisco de Paula G. Vigil, qui, ut ibidem dicitur, „ut indifferentismum ac rationalismum, quo se infectum prodit, securius ac impune sequatur, denegat, Ecclesiae inesse potestatem dogmatice definiendi, religionem Ecclesiae catholicae esse unice veram religionem, docetque, cuique liberum esse eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.“ Itaque non docet, aliquem, qui ab Ecclesia deficiat, errore invincibili excusari posse, sed *objective* exstare eam deserendi *ius*, nec unice veram esse Ecclesiam catholicam.

Ut, quod *altera* ratione obiicitur, refutemus, animadvertimus, non *immediate* propterea catholicos dici nullam unquam iustam causam fidem mutandi vel in dubium vocandi habere posse, quia Ecclesia abundet divinae institutionis signis, et catholici, ut in ea perseverent, gratia divina adiuventur; sed illa sententia est explicatio et continuatio antecedentis sententiae, qua conditio catholicorum alia esse dicitur atque eorum, qui falsae religioni adhaerent. Deest ei membrum, quod si supplemus, sententia erit haec: „Hi enim, qui falsam religionem sectantur, quum et argumentis careant, quibus veritas huius

¹ P. 62.² Cf. supra p. 65.³ P. 65.

religionis probetur, nec gratia Dei in ea confirmetur, sed contra argumentis et Dei gratia, ut religionis suae falsitatem agnoscant, et ut ad agnitionem veritatis veniant, excitentur, hi, inquam, iustam causam habent, quin immo officio tenentur mutandi religionem; illi autem, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt iustam causam mutandi aut in dubium vocandi fidem.“ Si causam quaeris, cur Concilium prius illud membrum omiserit, respondeo, quia de officio eorum, qui ad Ecclesiam non spectant, loqui noluit. Cuius rei argumentum continetur in eius actis. Propositum enim erat revera ab uno ex Patribus, ut membrum, quod omissum esse diximus, suppleretur. „Ista propositio“, inquit, „evidentem inter duas personarum species distinctionem statuit, sed de ista distinctione nihil omnino agitur in secunda phrasis parte, quae sic se habet: *Nam nullam unquam iustam habere possunt causam mutandi aut in dubium revocandi fidem, qui eam sub Ecclesiae magisterio susceperunt.* Ad prosequendum igitur parallelismum melius videretur: *Isti enim, veritate detecta, errorem tenentur abiicere; illi autem (catholici) nullam unquam habere possunt legitimam causam etc.*“¹ Quam emendationem deputatio recipere noluit, „quia hoc loco“, ut ait Paderbornensis², „minime sermo est de officio acatholicorum, sed tantummodo de officio catholicorum“.

Itaque sensus loci videtur esse hic: ut causa (*objective*) *iusta* semper exstat, cur, qui falsam religionem sectantur, de ea dubitent eamque deserant, ita causa (*objective*) *iusta* nunquam adesse potest, cur catholici de veritate Ecclesiae dubitent vel eam relinquunt. Quibus verbis Hermesii et Vigili sententia reiicitur, qua vidimus vel expresse vel aequivalenter doceri, parem esse catholicorum et haeticorum conditionem, atque idem utrorumque ius vel officium dubia de sua religione excitandi vel eam deserendi. Discrimen conditionis catholicorum et aliorum eo continetur, quod illorum religio vera est ac Deus omnes eam sequi vult, horum autem religio falsa, quam Deus deserit vult; porro, quod, qui ad Ecclesiam catholicam spectant, et praeclarissimis divinae eius institutionis signis et gratia Dei, ut perseverent, adiuvantur, contra, qui falsae religioni adhaerent, neque argumentis rationi propositis, neque gratia divina in ea retinentur, imo hisce ab ea abducuntur. Signorum autem veritatis Ecclesiae non dicitur esse tanta vis, nec gratiarum, quae concedantur, tanta abundantia, ut homo catholicus nunquam ita in errorem aliquem duci possit, ut inculpabiliter aliquando dubitationi de veritate suae fidei se tradat.

Maiorem vim *tertia* ratio habere videri possit: dicitur Deus eos, qui ad veram religionem pervenerint, gratia in ea confirmare „non deserens, nisi deseratur“. Haec autem verba, sive confirmatio praecedentis incisi sunt sive eius explicatio, non indicant, ita Deum homi-

¹ Emendationes etc. C. V. 162 d.² Relatio etc. C. V. 182 d.

nem catholicum sua gratia in vera religione confirmare, ut is, nisi gratia fidei culpabiliter abiecta, ab ea recedere nequeat, seu ut, si ab ea recedat, necessario dicendus sit peccatum formale contra fidem commisisse. Id vel inde patet, quod ea verba iam in schemate de doctrina catholica occurrebant¹, quum tamen eius scriptores, ut statim videbimus, adnotatione addita clare animadvertant, schemate non excludi sententiam, posse aliquando per accidens fieri, ut homo catholicus sine peccato formali contra fidem sectam aliquam amplectatur. Verba autem ipsa, sive in se sive historice considerata, sensum offerunt universalem, atque enuntiant, Deum iustis ad recte vivendum se gratiamque suam nunquam subtrahere. In schemate de doctrina catholica, e quo hoc, in quo versamur, caput receptum est, locus correspondens fuit hic: „Sicut gratia Dei . . . ad hoc datur errantibus, ut . . . convertantur ad veritatem: ita per supernaturalem gratiam internam . . . fortitudo credentium Dominus est, qui non deserit, nisi deseratur, ut pie semper iusteque vivatur.“² Desumpta sunt verba, ut auctores schematis adnotant, ex capite undecimo Sessionis sextae Concilii Tridentini; in eo, postquam declaratum est, iustos praecepta divina servare et „sobrie, iuste et pie viventes proficere“ posse, additur: „Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur.“ Eodem sensu occurrunt verba apud S. Augustinum³, a quo tandem derivantur. Nec profecto Vaticanum novo sensu ea usurpavit. Subest igitur loco sensus: Sicut Deus generatim iustos non deserit, sed gratia adiuvat, ut praecepta servare ac recte vivere possint, ita etiam eos, qui in vera religione sunt, gratia sua adiuvat, ut in ea permanere possint. Quemadmodum autem priori parte huius sententiae non enuntiat, Deum ita gratia iustos adiuvari, ut ne materiali quidem peccato praecepta divina transgredi possint, ita etiam altera non enuntiat, Deum ita gratia sua homines catholicos in recta fide confirmare, ut ne materiali quidem peccato ab ea recedere possint. Patet autem illis verbis, Deum ne eum quidem deserere, qui, si id fieri possit, sine sua culpa ab Ecclesia separetur. Quare is non privabitur mediis ad salutem consequendam necessariis. Iam quum inter haec referenda sit etiam fides, fidem non amittet omnem, licet eam amiserit, quae versatur circa omnes veritates particulares ab Ecclesia catholica propositas.

Diximus, scriptores schematis de doctrina catholica huic adnotasse, schemate non excludi sententiam, posse aliquando per accidens fieri, ut homo catholicus sine peccato formali contra fidem sectam aliquam amplectatur. Quae quidem adnotatio pro tota nostra controversia magni momenti est. Neque enim, qui schema illud reformarunt, plus de nostra re dicere voluisse credendi sunt, quam qui pristinum illud

¹ C. V. 512 b.

² Ibid.

³ De natura et gratia c. 26 (Migne P. L. XLIV, 261).

schema scripserunt. Adnotatio autem est haec: „ . . . neque etiam in proposita declaratione doctrinae et condemnatione erroris illud attingitur, quod aliqui veteres theologi concedere non dubitant, posse *per accidens* et in certis quibusdam adiunctis conscientiam rudis cuiusdam hominis catholici ita induci in errorem invincibilem, ut sectam aliquam heterodoxam amplectatur sine peccato formali contra fidem, qua in hypothesis fidem non amitteret, nec formalis sed materialis haereticus foret (Tanner de fide q. 2. dub. 5. n. 139; Platelius de fide n. 61). Haec quidem nisi cautissime explicentur, periculose disputantur; sed ab haeresi, quae sacro Concilio examinanda proponitur, sunt alienissima.“¹

Itaque concludimus, a Concilio definitum non esse, nunquam fieri posse, ut homo catholicus sine peccato formali *contra fidem* divinitatem institutionis Ecclesiae in dubium vocet vel ab ea deficiat.

Restat quaestio, num Concilium definierit, hominem catholicum ad dubia libera seu ad defectionem transire non posse, quin antea iam graviter peccaverit. Facilis est responsio. Concilium enim de aliis peccatis omnino non loquitur; negat solum, nunquam hominem catholicum in ea conditione esse posse, ut recte agat, si fidem in dubium vocet vel eam deserat, seu ut ad id obiective legitima adsit ratio. Eum, si a peccatis abstinet, gratia divina a calamitate servatum iri fidem ex invincibili errore deserendi, id aliunde ostendant theologi; a Concilio non definitur. Theologi enim illi, qui putant, per accidens fieri posse, ut homo catholicus rudis sine peccato formali ad sectam transeat — quam opinionem Concilium reiicere non velle vidimus —, non distinguunt inter peccatum contra fidem et alia peccata.

Quod hac commentatione ostendimus, etiam alio argumento nos confirmare posse putamus. Ii, qui contendunt, Deum permittere non posse, ut homo catholicus, qui a peccatis abstinet, conscientia invincibiliter erronea ab Ecclesia plane deficiat, certe non iidem contendunt, Deum permittere non posse, ut homo catholicus, qui Dei legem servat, in errorem invincibilem inductus, *serium de fide dubium aliquando admittat*. Neque enim, si mox ad veritatem redit, in illa dubii admissione maior videtur esse calamitas, quam in alio graviore peccato ob errorem commisso. Inde novo argumento probamus, Concilium Vaticanum non definivisse, hominem catholicum sine peccato formali fidem catholicam deserere non posse. Etenim certe non definivit, Deum nunquam permittere, ut homo catholicus aliquando ex errore quodam invincibili sine peccato formali dubium contra fidem sustineat. Si autem id non definivit, ne alterum quidem definivit, sc. fieri plane non posse, ut homo catholicus sine peccato formali ab Ecclesia plane

¹ Schema etc. C. V. 534 d sq.